



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

I. Vnitas, infallibilis est Veritatis nota.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

DE VNITATE ECCLESIAE ET  
Aduersariorum discordia.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

- I. *Vnitas, infallibilis est Veritatis nota.*
- II. *Discordia Lutheranorum magnum ipsorum doctrinae prauidicium affert.*
- III. *Vnitas Ecclesia est eius conseruatio.*
- IV. *Quomodo Lutherani & Sacramentarij sese mutuo conseruiant.*
- V. *Inter Aduersarios discordes nulla est concordia nisi in oppugnanda Ecclesia vnitate.*
- VI. *Comparatio quadam, illi qua Aretius Clericos porcis comparat, opposita, & A catholicis aptissime applicata.*

I. QVEMADMODVM Vnitas & concordia secundum Gregorium Nazianzenum, Veritatis, & pote in diuisa eius comes; sic diuersitas ac discordia est mendacij nota infallibilis. Mendacij natura est, ceite Laetantio, (a) ut in nullo sibi constet, nihil certum habeat; veritas e contra semper est vniformis. Eadem iustar palmar, quanto magis premitur, tanto magis contra malignitatem obicitur. Veritas Dei est filia & caelorum cuius; at mendacium diaboli & inferni illa quidem in Catholica semper reperitur Ecclesia, laeto & sereno vultu caelum suspiciens, & vnā vocem ac linguam habens. Et veritas euidens est veritatis in doctrina signum, vt Athanasius ait, (b) si omnes idem sentiant, credant & loquantur. Mendacium vero triste ac morosum, depressis in terram oculis, luto affixum haeret, centum linguas ac centum voces habet, Hydra multorum capitum, Chimera diuersarum naturarū, vtriusq; sexus Hyæna, inferni denique ostiaria, non triceps vt Cerberus, sed innumeris capitibus, nec minus vario ac dissono latratu terribilis. Veritas pacem, mendacium bellum perpetuum in se habet & adfert. Illa in Ecclesia Catholica domicilium sibi elegit; hocius Nouorum Euangelicorum fornicibus & synagogis stabulatur, quibus nulla est concordia, nisi ad male faciendum aut male dicendum. Non est pax impijs, inquit Esaias vates, (c) Dia-

bolus, vt ipse Lutherus facetur, pater est dissensionis; Deus vero est Deus vnionis & concordia. (d) in eodem fine suos conseruans. Ac velut fluctus mutuo sese excipiunt ac frangunt; ita hæreses inuicem se perimunt, vt Hilarius inquit. (e) Neque vnquam vlla fuit secta quæ non eam a qua originem ipsa suam habuerat, condemnarit.

II. Videamus quomodo Lutheranorum cohortes, postquam à Catholica discesserunt signis Ecclesiae, mutuo inlanienis, diffamatioibus & iniurijs in se grassatae sint. Vt enim recens conglutinata facile statim dissoluuntur, at difficillime quæ multis iam annis velut callum & duritiem obduxerunt sic vincula illa, si quæ inter Nouos illos Christianos, facile rumpitur, certo Dei consilio & permisso, vt sic diuisi, propositum sibi finem de extirpanda penitus Ecclesia non assequantur, (f) nõ magis quam audaces illi incredibilis operis inceptores, qui montes montibus imponere conati sunt, vt immensæ altitudinis turrim exædificarent. Quæ mala, quæ miseria, quæ horribilia scandala, inquitur, Tigurini, (g) ex miserabili illa Ecclesiarum, qua relictis superstitionibus Papiisticis, puram Euangelij doctrinam amplexa fuerant, existerunt! Et Bodinus tum Caluinita ait, (h) si Germani in religionis mutatione constantiam aliquam præstitissent, multo maiorem hominum ad ipsos futurum fuisse concursum. Neq; enim Hussitas aut Martinistas tantum, sed mox Anabaptistas, Leideneses, Zuinglianos, Carolstadianos, Osiandristas, Vestphalistas, Davidistas, VValdenses, interimistas, & alias sectas innumerabiles erupisse constat. Sed pauca hæ sunt. Lector; tu si paululū patienter exspectaueris, sub finis libri multo plures, in conspectum à nobis productas videbis. Ipse quidem Lutherus sectæ suæ interitum ab hac causa fore hariolatur; (i) non ignarus nullare facilius hæreticos quam suis ipsorum dissensionibus victos fuisse: nec Deum alijs contra eos armis vti, quam spiritu dissensionis, vti contra Babylonicæ olim turris machinatores. Hoc modo Arrianos, Donatistas, Pelagianos fuisse destructos; immo ipsos Iudaos non nisi sua ipsorum discordia perijisse. Vt recte Sanctus Hilarius gloriatur, (k) hæreticorum dissidia,

X 2 pacem

a Lib. 9. cap. 3. 3. E. dr. 4. b In Apologia  
c Lib. 2. cont. Zuing. & Oecolamp. d S. Cyprianus de simplicitate  
e Lib. 7. de Trinit. f Hier. in 8. Ezech. g In  
Præf. Apol. ad resor. Eccl. Germ. h Meth. cap. 2. i  
k Lib. 7. De

Trinit.